



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Externis Regulis Amoris Et Morum, Legibus Utique, ac Præceptis
Virtutum Theologicarum, & Cardinalium, necnon Decalogi & Ecclesiae -
Libros Vndecim Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput LII. Ludus & Sponsio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73203)

men nostris usitata non est poena illa, sed solum onus duplicatum canonem solvendi per triennium.

581 Nec re pereunte tantum ex parte, seu etiam in casu sterilitatis, Emphyteuta remissionem pensionis petere potest, sicut in locatione. Quia in locatione pensio constituitur pro modo, & qualitate fructuum, qui ex fundo percipi solent; in emphyteusi autem in recognitionem domini directi. Si tamen in emphyteusi quantitas pensionis taxata foret proportionaliter ad quantitatem fructuum, in dictis casibus diminutio, arbitrio boni viri, peti posset; quia tunc locatio potius quam emphyteusi in re censeri posset, quidquid sit de nomine, quo usi essent contrahentes. Neque enim verum est quod aliqui dicunt, locationem, factam ultra decennium, esse emphyteusim. Quia per locationem quantivis temporis dominium non transfertur. L. 39. ff. locati.

CAPUT LII.

Ludus & Sponsio.

582 **S**ponsio est contractus, quo duo, vel plures de rei eventu aut veritate certantes, sibi invicem spondent aliquod praemium, ut sit ejus qui veritatem fuerit assecutus. Hic contractus (ut bene observavit Doctor Huyghenius) non videtur habere multum utilitatis, sed (frequenter saltem) aliquid vanitatis, in eo consistentis, quod concertantium quilibet videri velit superasse alterum in assecutione veritatis. Potest tamen esse utilis, si fiat ad hoc ut finis imponatur contentionibus de veritate.

583 **U**t ergo licita sit sponsio, debet 1. fieri ex laudabili fine proxime dicto, non ex fine cupiditatis, vel vanae gloriae. 2. debet esse de materia licita, qualis non est sponsio cum iactante se crimen aliquod commissurum, quod illud non audebit facere: cum per eam malus animus alterius obfirmetur, & inflammetur ad illud committendum. Si quis tamen cum eo qui dicit se non peccaturum, spondeat quod peccabit, ipsum ad peccandum non stimulat, sed a peccando potius retrahit, & ideo licita videtur sponsio. 3. abesse debet omnis dolus & fraus, qua quis v. g. simulet se incertum de veritate contestata, cum certus sit. 4. uterque spondens esse debet de eventu, vel veritate dubius. Quamvis enim Sa verbo *contractus* n. 10. Malderus tr. 1. c. 12. dub. 1. Salas de lud. d. 25. Hurtadus de contract. disp. 7. diff. 9. existiment, quod de victoria certus cum altero spondere possit, modo alter ipsum absque dolo, & incertitudinis simulatione ad sponsonem pellexerit, nec tunc ad lucri restitutionem teneri. Verius est oppositum, quod tenent Wiggers tr. 5. c. 4. dub. 1. aliique plures apud Dianam p. 7. tr. 9. resol. 62. & p. 11. tr. 6. resol. 9. quia in omni

contractu servanda est aequalitas, quae non est, dum spondentium unus est certus, & absque periculo; alter incertus, periculoque expositus. Si tamen certus de certitudine sua incertum monuerit, & iste nihilominus certare voluerit, scienti & volenti non fit injuria.

Sed quid in casu, quo quatuor aspirant ad unam dignitatem exempli gratia, potestne quispiam cum singulis certare, quod non sint obtenturi, licet certus se lucraturum contra tres? Affirmant Lugo & Diana p. 7. tr. 9. resol. 64. quia singulae sponsones dubiae sunt, & disparatim fiunt. Alii negant, ob inaequalitatem manifeste resultantem ex quatuor illis sponsonibus, disparatim quidem factis, sic tamen ut ob concomitantiam ille qui cum quatuor spondet, v. g. cum singulis pro centum florenis, tantum possit perdere centum, possit vero lucrari, imo certus sit se lucraturum trecentos.

Ultima conditio ad licitam sponsonem, est, ut non misceantur sacra profanis, adeoque de eventu vel veritate aliqua temporali non certetur pro Missis, precibus, communionibus, &c. Non enim licet miscere sacra profanis, nec abuti rebus sacris ad animi relaxationem. Propterea namque Concilium Tridentinum sess. 4. temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quaque convertuntur & torquentur verba & sententia S. Scripturae mandata & praecepta, ad tollendam hujusmodi irreverentiam & contemptum, ne de caetero quisquam quomodolibet ad similia audeat usurpare. Gregorius quoque Magnus l. 6. Regist. epist. 7. carpit Clericos quosdam, quod in electione Praelati cantassent: *Hae est dies quam fecit Dominus*, &c. Ob eandem rationem S. Thomas cit. q. 168. a. 2. ad 1. cum S. Ambrosio docet S. Scripturae verba non esse miscenda jocis & facetiis; quia cum doctrina sit de rebus maximis, misceri non debet minimis.

An facta duorum inter se sponsonem, quod alter altero velocius curret, perdidisse censetur, qui, uno volente currere, cum ipso currere non vult? Videtur quod sic: quia dum per unum non stat, quominus cursum fiat, per alterum stare videtur quod non impleat conditionem, dum ex parte alterius quasi impleta censetur. Negat tamen Lugo, si sponsio facta sit per modum ludi; quia licet ludens, licet incepto ludo non possit a ludo desistere, ludo tamen nondum inchoato potest a ludendo abstinere; ita similiter. Verum exemplum ludi in contrarium videtur posse retorqueri; quia postquam duo sponderunt se lufuros, uno a ludendo abstinere nolente, alter abstinere non potest. Sponsio vero, de qua quaestio, videtur implicite hoc importare, quod uterque curret.

Sed quid ludus? generatim sumptus est jucundum aliquod dictum, vel factum ad laxandum tantisper animum. Si dictum, vocatur

catur *jocus*; si factum, dicitur *ludus*. Sed speciatim sumptus (prout hic à Theologis & Jurisperitis sumitur) est certamen duorum vel plurium, ad animi relaxationem ex natura sua institutum, cum pacto ut victori res aliqua quasi præmii loco cedat. Est proinde contractus quidam plurium inter se certantium de præmio, victori cessuro, pro fine habens relaxationem animi. Unde ludus sic acceptus nihil illicitum complectitur, sed servatis debito fine, aliisque debitis circumstantiis, esse potest honestus, imò & necessarius. Quia sicut homo indiget corporali quiete ad corporis refocillationem, quia non potest continue laborare . . . ita etiam ex parte anime (inquit S. Thomas q. 168. a. 2.) nam quando ultra modum suum in aliquas operationes se extendit, laborat, & ex hoc fatigatur; præsertim quia in operationibus anima simul etiam laborat corpus, in quantum scilicet anima intellectiva nutritur viribus per organa corporea operantibus . . . Et ideo quando supra sensibilia elevatur, operibus rationis intentata, nascitur exinde quedam fatigatio animalis . . . Sicut autem fatigatio corporalis solvitur per corporis quietem; ita etiam oportet quod fatigatio animalis solvatur per anime quietem: quies autem anime, est delectatio. Et ideo oportet remedium contra fatigationem animale adhibere per aliquam delectationem, intermissâ intentione ad insistendum studio rationis . . . Hujusmodi autem delectatio, vel facta, in quibus non queritur nisi delectatio animalis, vocatur ludicra, vel jocosa. Et ideo necesse est talibus interdum uti, quasi ad quandam quietem anime, ut scilicet laxato tantisper animo, vegetior quis fiat ad ea que sui muneris sunt; hoc enim pertinet ad virtutem discretionis. Quia sicut terra, etiam pingues, sunt steriles, si semper colantur, & serantur; ita ingenia, etiam subtilia, torpent & gravantur labore continuo. Seneca. 1. de tranquill. vit. cap. 15.

589 Nec solum necesse est joci & ludis interdum uti, quasi ad quandam anime quietem, verum etiam ad humanæ societatis honestatem. Quia, ut sanctus Doctor ait a. 4. in corp. est contra rationem; ut aliquis alius se onerosum exhibeat, puta dum nihil delectabile exhibet, & etiam eorum delectationes impedit. Unde Seneca dicit: „ Sic te geras sapienter, quod nullus te habeat tamquam asperum, nec contemnat quasi vilem. „ Et sic spectatus ludus, ad virtutem spectat extrapelia, seu urbanitatis, prout idem Sanctus docet a. 2.

590 Ut autem ludus honestus sit & licitus, servanda sunt sequentia. 1º. quod ludi delectatio non queratur finaliter propter se. Sicut enim delectatio cibi & potus propter se finaliter queri & amari non potest absque peccato; prout Ecclesia definit; ita nec delectatio ludi. 2º. ut prædicta delectatio non queratur in aliquibus operationibus, vel verbis turpibus, vel nocivis. S. Thomas a. 2.

Tom. II.

citato. 3º. no totaliter gradus anime resolvatur. S. Thomas ibidem. Quia S. Ambrosius dicit in 1º. de officiis: *Caveamus, ne dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum.* Et Tullius dicit in 1º. de officiis, quod sicut pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam que ab honestis actionibus non sit aliena; sic in ipso joco aliquid præbi ingenii lumen eluceat. 4º. (quod & attendendum est in omnibus humanis actionibus) ut congruat persona, tempori, & loco, & secundum alias circumstantias debite ordinetur, ut scilicet sit tempore, & homine dignus, ut Tullius dicit ibidem. Ac per consequens fit dignus homine Christiano, Clerico, Religioso, Episcopo, &c. si homo sit Christianus, Clericus, Religiosus, Episcopus qui ludit. Quia, ut rursus sanctus Doctor ait a. 4. ad 1. *coningit in ludis esse peccatum, eo quod debita circumstantia non servantur.* Nam in talibus aliquid decet unum, quod non decet alium.

Ex non observantia ergo circumstantiarum illarum, vel alicujus ex illis, ludus plerumque vitari solet, quemadmodum & ex nimio affectu ad ludum, nimique jactura temporis in ludis, necnon ex eo quod fiat cum periculo vitæ, sicut in torneamentis, & hastiludiis, taurorum agitatione, &c. vel cum periculo perendi tantum, ut uxor & filii egeant, vel ut ipse ludens fiat impotens ad solvendum debita; vel ludus fiat cum fraude & dolo, vel cum periculo rixandi, blasphemandi, pejerandi, maledicendi, contra Deum murmurandi, pugnandi, &c. Quæ pericula & vitia, quia sæpè solent ludos commitari, ideo ludi acriter à sanctis Patribus solent reprehendi.

Sed maxime ab ipsis reprehenduntur ludi fortunæ, ut vocant, sive in quibus victoria magis à fortuna, quam ab arte dependet, cujusmodi sunt ludi alearum. De quibus S. Thomas 2. 2. q. 32. a. 7. ad 2. dicit quod circa illa que per aleas acquiruntur, videtur esse aliquid illicitum ex divino jure, scilicet quod aliquis lucretur ab his qui rem suam alienare non possunt . . . Et quod aliquis trahat alium ex cupiditate lucri ad ludum, &c. Quale verò peccatum sit ludere principaliter ob lucrum, variant Authores. Vega in epitome V. ludus casu 1. Turrecremata cap. Episcop. dist. 35. Sylvester V. ludus q. 4. censent esse mortale, si lucrum notabile principaliter intendatur. Quia est affectus avaritiæ in re gravi, prohibitus præcepto, *non concupisces rem proximi.* Alii tamen communiter negant esse mortale, ut Cajetanus, Sotus, Navarrus, &c. licet Navarrus c. 20. n. 3. & 8. fateatur esse veniale, quia principalis illa intentio est quodammodo contra naturam ludi, cuius finis proximus est principaliter animi relaxatio; lucrum verò, non nisi quatenus ipsi subordinatur. Unde quoad hoc aliter philo-

Ggg

sophandum videtur de ludo, quam de aliis contractibus, quorum finis principalis proximus non est animi recreatio, sed lucrum legitime quaesitum, cujus intentio non est contra praecipuum, *non concupiscas*, &c.

CAPUT LIII.

Ludi aliqui legibus civilibus & canonicis Laicis prohibiti.

594 **L**egibus civilibus & canonicis prohibentur ludi illi, qui magis fortunam quam arte reguntur, qui in jure communiter intelliguntur sub nomine *alearum*. Constat hoc ex L. 2. & 3. ff. de aleatoribus, Authent. *alearum*. Cod. de aleat. & *alearum casu*. Nec non ex can. *Episcopus* dist. 35. ubi communione privantur, etiam Laici, ludis illis deservientes, id est frequenter ludentes. Ratio prohibitionis est quod ex hoc genere ludorum valde frequenter exoriantur irae, rixae, invidiae, blasphemiae, iisque facile tota penè familiarum substantia exhauriatur. Atque hinc rerum domesticarum inopia, familiarum tristissima facies, imprecationes in caput lusorum, uxorum, prolium, officiorum neglectus, temporis perditio, indifpositio ad exercitia vitae christianae, pertinax ludendi consuetudo difficillimè curabilis, &c. Quibus S. Franciscus Salesius Introduct. ad vit. devot. p. 3. c. 31. & 32. addit 1°. quod iis ludis lucrum secundum fortem potius quam secundum rationem cedat. 2°. quod contra finem ludi spiritus affligitur, potius quam recreatur. 3°. quod victor de lucro gaudere non possit, nisi victo par sit causa tristandi de perditione.

595 Unde leges illae, ubi receptae, nec contraria sunt consuetudine abrogatae, videntur sub mortali obligare, uti sentit S. Antoninus 2. p. tit. 1. c. 23. §. 2. & sanctus Raymundus apud ipsum, atque post ipsos Wiggers tr. 5. c. 4. dub. 2. eo quod gravibus ex causis sint emanatae; nec cessent in particulari, licet in particularibus ludentibus mala illa non exorirentur. Quia semper equidem verificatur finis legum illarum, quod utique mala illa in multis frequenter exorirentur, nisi omnibus prohiberentur.

596 Leges tamen illas, saltem respectu Laicorum, contraria consuetudine esse abrogatas, censent Salas, Lessius, & plerique alii Casuistae. Sed eas in Gallia innovavit Ludovicus XIII. 30. Maii 1611. & in Belgio Carolus II. in Decreto Bruxellis edito anno 1699. die 6. Martii in supremo Brabantiae Consilio.

597 Quia verò, per prohibitum *alearum* ludum, Authores intelligere solent eum, qui principaliter fortunam regitur; talis (inquit Florentius de Cocq de jur. & just. tr. 2. c. 8. sect. 11.) juxta nonnullos non censetur esse lusus *verksier* ac *ricktack* dictus, et si fiat *alea*: cum ejusmodi ludus magis arte

regi soleat, quam fortunam. Unde & Anselmo Tribon. Belg. c. 77. n. 4. eundem ludum illum dicit esse licitum, & generali Belgii consuetudine receptum. Varii tamen Authores (prosequitur Cocquius) etiam condemnant ludum *alearum*, qui partim arte, partim fortunam regitur. Et certè in Gallia & Belgio Decretis proximè relatis etiam foliorum pictorum ludi prohibentur, qui partim arte, partim fortunam perinde reguntur, ac *verksier* & *ricktack*.

CAPUT LIV.

Idem ludi maximè Clericis prohibiti.

598 **N**isi ludi illi Clericis prohiberentur, frustra prohiberentur Laicis, quibus ipsi exemplo debent praelucere, ex quo Laici imunt quod imitentur. Nihil est enim quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicaverunt (ait Tridentinum sess. 22. c. 1. de reform.) cum à rebus saeculi in altiore sublati locum conspiciantur, in quos, tamquam in speculum, reliquis oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. Quamobrem sic decet omnino Clericos, in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nihil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum praeseferant. Levitia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis offerant venerationem.

599 Quia igitur ludos aleatorios universim damnant sancti Patres, Apollonius (apud Eusebium lib. 5. Histor. Eccles. c. 18.) Clemens Alexandrinus lib. 3. Paedagogi c. 11. Basiliius homil. 8. in Hexaëmeron. Ambrosius lib. de Tobia c. 11. S. Ephrem. lib. de abrenunt. in baptismo. Chrysostomus homil. 15. ad popul. Antioch. Caesarius Arelatenfis, seu alius Author serm. 141. in append. S. Augustini. Author libri de aleator. inter opera S. Cypriani. Joannes Sarisberienfis l. 1. de nugis Curialium c. 5. S. Raymundus lib. 11. Summae tit. 8. §. 11. S. Antoninus supra c. 23. §. 6. ubi dicit, *vix esse actum, ex quo tot mala oriuntur, sicut ex ludo: quot enim in tavillis sunt puncta, tot scelera ex eo procedunt. Enumeratque viginti & unum mala inde provenientia. Sicut enim Deus invenit 21. litteras ... ad componenda Biblia, ubi est omnis sapientia revelata; ita invenit diabolus tavillos, & chartas, Biblia sua, ubi posuit 21. puncta, litteras suas negras, ubi reperitur omnis malitiae peccati ... Non ergo debet dici Christianus, qui deditur est ludo, cum vituperet nomen Christi. Quod ante ipsum hifce verbis dixerat laudatus Author libri de aleatoribus: Christianus quicumque es, & alea ludis, hoc primum in hoc loco credere debet, quia non Christianum, sed ethnicum tibi nomen est ... Aleator quicumque es, Christianum te dicit, quod non es: eo quod saeculo participes,*